

2. Itaque per *circuminfessionem* tres Personæ divinæ fuerunt in utero B. MARIE Virginis, & sunt in CHRISTO Domino, ac proinde etiam in S. Eucharistia.
3. Personæ divinæ aliæ alias *miserunt* ad nos homines.

Explicabitur, cui Personæ competat mittere, vel mitti.


4. Habitant in hominibus justis, juxta illud: *Veniamus, & mansionem apud eum faciemus.*

5. Personæ divinæ quidquid ad extra faciunt, est opus Personis omnibus commune.

Exponetur tamen, quo sensu Ecclesia, & Patres, certa quædam opera tribuant Patri, quædam Filio, quædam Spiritui S.

PROBLEMA.

An mansio divinarum Personarum in homine justo fit per *substantiam*, an verò per *solam virtutem*, sive *gratiam*? Ubi quoque, quid sibi velint verba Episcopi, Sacerdotio iniciantis Clericum: *Accipe Spiritum sanctum.*



TRACTATUS II.

De Angelis, Homine, Beatitudine, & Actibus humanis.

P A R S I.

De Angelis.

A DEO, rerum omnium auctore, & gubernatore Opt. Max. ad nobilissimum, & præcellentissimum ejus opus Theologia dogmatica progreditur, puta ad Angelos: quos omnes quidem Deus valde bonos condidit, sed suamet multos culpa

reddidit malos. Unde dux nunc Angelorum classes, bonorum scilicet, & malorum.

De utrisque credendum, & sentiendum tradet Theologus dogmaticus, non quidem ex conjecturis, aut apocryphis nonnullorum libris, sed ex verbo Dei, & Ss. Patrum traditione: nam & hoc quadrat, quod alibi rescripsit Innoc. III. *Sopitis questionibus doctorum, Patrum sententias teneas.*

SECTIO I.

De existentia Angelorum, & Natura.

DOGmata.

1. Existunt Spiritus rationales, qui *Angeli* vocantur, & *Dæmones*.

Explicabitur utrumque hoc nomen, quodque *Angelus* vox officii sit, non *natura*, ut tradit S. Gregorius *Homil. 34. in Evang.* *Dæmones*, quasi *δαίμονας*, id est, *intelligentes* vocari, ait Lactantius *Instit. Div. L. 2. Cap. 15.* A prisca etiam Philosophis vocantur *Intelligentia*. Usus Ecclesie obtinet, ut soli Genii boni appellentur passim *Angeli*, soli mali *Dæmones*, & *Diaboli*, id est, Calumniatores.

Finis ultimus Angelorum idem est, qui Hominum: de quo suo loco postea. Quo mundi die, & quo in loco conditi primum fuerint Angeli, explicabit Professor S. Scripturae ad *Cap. 1. Gen.*

2. Apparent quidem sæpè hominibus humanâ, vel aliâ corporeâ specie:

3. Naturam tamen, ex spiritu, & corpore compositam, non habent.

Qua de materia cum varia Ss. Patrum sententia existat, ea cautè pertractanda erit, & quid certâ fide credendum sit, quid dubium, & incertum relinquatur, diligenter discernetur. Videatur Lamindi Pritanii, sive Muratorii, de *Moderatione ingeniorum Lib. 1. Cap. 13.*

4. Est inter Angelos ordo quidam, qui hierarchia cælestis dicitur.

Vid. S. Gregorii *Homil. 34. cit.*, & Dionysii Areopagitæ *Lib. de*

caelest. Hierarch. Quâ occasione brevis institui poterit disquisitio de libris Dionysianis, ejusque de Angelis Theologia.

- 5. Pollent intellectu, voluntate, & libero arbitrio. Ubi breviter attingi poterit quæstio, an eorum voluntas sit in rebus à se semel electis suapte naturâ immutabilis.
- 6. Vim naturalem magnam habent in corpora elementaria.

ERRORES.

Sadducæorum, non agnoscentium spiritum, & Angelos: modernorum item quorundam Acatholicorum, qui cum Hoffmanno, in Lexico, existimant, Michaëlem, Gabriëlem, & Raphaëlem non esse, nisi virtutes Dei auxiliatrices.

PROBLEMATA.

- 1. Utrum Angeli sint omnis prorsus materiæ, & corporis expertes?
- 2. An spiritus immundi certis rebus corporeis, aut odoribus, delectentur verè; aliis verò offendantur, & abigantur? Quo loco occurrunt illa Raphaëlis dicta de corde piscis Tob. 6. v. 8. *Cordis ejus particulam, si super carbonas ponas, fumus ejus extricat omne genus demoniorum, sive à viro, sive à muliere, ita, ut non ultra accedat ad eos.* Paucis hac occasione ventilabitur, an superstitione careat quorundam persuasio, inesse certis herbis, & suffitibus virtutem abigendi demones.
- 3. Utrum Angeli, sive boni, sive mali, suâmet virtute cognoscant certò secreta cordium?
- 4. Aut vaticinari possint futura contingentia. Ubi erit de oraculorum, quæ ab Apolline Pythio, aliisque diis falsis, edi credebantur, vanitate & fallaciâ disserendi locus. Quædam subjungi poterunt de locutione Angelorum, quæ tum inter se se agunt, tum boni interdum cum malis. Modus tamen, quo colloquuntur mutuo, vel prætermittetur omnino, vel obiter tantum attingetur, utpote dubius, & incertus.

SECTIO II.

*Angelorum via, Bonorum meritum, & præmium;
Malorum lapsus, & pœna.*

DOGMATA.

1. Angeli creationis suæ initio fuerunt aliquamdiu viatores.
2. Boni sunt beatitudinem suam cœlestem meriti.
3. Mali à Deo quidem creati sunt per se boni, sed suâmet culpâ redditi sunt mali.
4. Boni confirmati sunt in gratia, & cœlesti beatitudine donati, mali manserunt obstinati.
5. Angelorum perduellium pœna est cœlestis beatitudinis jactura, & cruciatus inferni, sive ignis, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.

ERROR

Foret dicere, quòd Angeli peccaverint primo creationis instanti. Occurrit item hoc loco error Lactantii *Instit. Divin. L. 2. Cap. 9. sub initium, & Cap. 15.*

PROBLEMATA.

1. Quo peccati genere lapsi sint Angeli?
2. Si superbiæ, circa quam materiam verosimilius videatur, eam fuisse versatam?
3. In quæstione, quomodo concretus ex materia ignis cruciare queat angelicos spiritus, satis habebit Professor dogmaticus, percensere varias Doctorum sententias. Illud enim solum sufficit ex S. Augustino dicere, quòd crucientur *miris, sed veris modis.*
4. Utrum mali angeli statim à commisso peccato ad inferni cruciatus detrusi sint? De quo Calmet in *dis. de bonis, malisque Angelis.*

SECTIO III.

De Angelorum erga homines beneficiis, eorumque cultu.

DOGmata.

1. Additus à Deo est cuilibet mortalium eustos Angelus.

Legationes divinas, quibus boni Angeli ad homines functi sunt, percensebit suis locis Professor S. Scripturæ; in qua occurrit creberrima & Angelorum, & legationum ab eis susceptorum, mentio. Idem explicabit locis opportunis alia Angelorum erga homines, regna, provincias, civitates &c. officia.

2. Beatis Angelis exhibetur rectè à Catholicis cultus religiosus dulciæ.

ERRORES.

Quidam hujus ætatis A catholicis negant datos singulis hominibus Custodes Angelos. *Angelici* adorandos cultu laeuitico putabant Angelos, à quibus longè absumus Catholicis, longius verò etiam ab Ethnicis, qui adorabant Dæmones. Totam de Angelis materiam egregiè ex Ss. Patrum mente tractat *Petavius*.

SECTIO IV.

De Angelorum malorum infestatione, & maleficiis.

DOGmata.

1. Adversarius noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, *1. Pet. 5.*
& corporibus hominum infensus, & animis.

2. Ani-

2. Animos infestat: nam est Sathanas, sive tentator, homines ad peccata sollicitans.
3. Corpora infestat: quia Deo permittente infert eis sapè incommoda. *Lib. Job.*
4. Imò obsidet verè, & vexat hominum corpora.

Ubi non omittet Theologus dogmaticus designare, ex Rituali potissimum Romano, certiora, Dæmonis energumenum obsidentis, signa, aliorum verò incertorum indiciorum ostendere fallaciam. Exorcismum, & modum tractandi energumenos ab eodem Rituali Romano præscriptum, monebit præferendum aliis apocryphis, & nonnunquam superstitiosis.

Divinitus concessa verè Christi Ecclesie potestas, ejiciendi dæmonia, opportunis vindicabitur, ubi de Sacramento Ordinis.

5. Perniciosa cum sagis, & magis pacta init.

Magos, & sagas in thesi sat apertè licet demonstrare ex Ss. Literis. *An verò in hypothesi sint verè magi, aut sagæ, qui aut se se jactant, aut ab aliis de magia insimulantur:* alia quaestio est. Nimis hoc in negotio increduli videntur quidam, qui cum *Thomasso* in dubium universè vocant magos, & sagas. Nimis verò etiam in multis credulus viderur fuisse *Martinus del Rio*. Præter hunc ergò consulantur alii scriptores critici, qui post eum scripsère.

ERROR

Modernorum quorundam A catholicorum, energumenum credulitatem ridentium, solidè perstringentur, quod egregie præstitit *Calmet in Dissert. de energum. verit.*

PARS II.

De Homine.

Alterum præclarissimum Dei opus est homo, Angelis quidem paulò minor, reliquis verò divinarum manuum operibus superior, *Psal. 8.*

SECTIO I.

De Creatione, & Natura hominis.

DOGMATA.

1. Conditus à Deo est homo, ex limo terræ forma-
tus.
2. Inspiravit Deus in faciem ejus *spiraculum vitæ*,
id est, Animam, spirituales, rationalem, im-
mortalem.

Immortalitatem animæ Philosophus demonstrat ex ratione naturali; Theologus verò, ad confirmandos in fide orthodoxa Christianos, ex Ss. Scripturis, & Patribus.

Explicabit ibidem Theologus, quo sensu Clemens V. in Concilio Viennensi pronuntiaverit, hominem habere animam rationalem, *tanquam formam corporis humani per se, verè, & essentialiter*, atque oppositum asserentes declaraverit hæreticos.

3. Est factus ad imaginem, & similitudinem Dei.

Exponetur hoc loco, quâ ratione homo, secundum suammet naturam inspectus, imaginem Dei quandam, & similitudinem referat.

ERROR

Epicuræorum, Atheorum, aliorumque, immortalitatem animæ inficiantium. Præadamitarum item, qui somniarunt alios ante Adamum existisse homines.

APPENDIX.

Varii naturæ humanæ status, ut puta (1) Naturæ puræ, (2) Naturæ integræ, in justitia primigenia conditæ, atque ad finem supernum elevate, (3) Naturæ lapsæ, (4) per Christum reparatæ, breviter duntaxat exponetur hoc loco, quantum factis erit ad ea, quæ hîc occurrunt, intelligenda. Ueberior verò de illis discussus reservabitur ad Tractatum de Peccatis, & Gratia.

SECTIO II.

*De Fine ultimo, & Beatitudine Naturæ rationalis
create, tam Angelorum, quàm hominum.*

Theologus ponit demonstratum à Philosopho, finem ultimum naturæ rationalis, ejusque veram beatitudinem, non posse in bonis ullis creatis, perituris, & caducis, esse repositam, sed in solo summo Bono increato, æterno, & immutabili. Quare doctrinam hanc vel obiter solum referet, vel breviter absolvet, confirmans eam ex S. Scriptura, & Patribus; ex quibus argumentari potissimum oportet Theologum. Hoc verò brevi labore perfunctus, explicabit, quæ, & qualis summi boni possessio nos sit redditura beatos.

DOGMATA.

1. Pro statu, quem *elevationis* vocant Theologi, beatitudo nostra sita est in visione clarâ Dei. *Videbimus eum, sicuti est.* 1. Joan. 3. v. 2. *Nunc quidem per speculum, in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. v. 12.

Declarabitur eâdem occasione, quid sibi velit Scriptura, asserens, fore *Beatos Deo similes*, atque in Deum *transformandos*.

2. Visionem hanc consequetur suavissimus Dei amor, & ineffabile de summi Boni possessione gaudium, pax, & tranquillitas.
3. Beatitudo hæc erit sempiterna, conjuncta cura certâ ejus nunquam amittendæ securitate.
4. Intellectus creatus videre suis nativis viribus clarè Dei Essentiam non potest: sed ad illam perspiciendam divinitus extollitur auxilio quodam superno stabili, quod secundum Scripturas vocatur *Lumen gloriae*. Quæ-

Quæstio, an *Moyſes*, & *D. Paulus* perspexerint clarè *Dei* *Essentiam*,
 Professoꝝ *S. Scripturæ* relinquetur, suo loco discutienda.

Dogmatibus his subjungi poterit; *Quæ*, & *qualis* futura fuisset
beatitudinem hominis in statu *Natura* pura, si in hoc eum constituere *DEUS*
 voluisset.

ERRORES

Hoc loco occurrunt (1) Anomazorum, qui judicârunt, compre-
 hendi ab intellectu creato posse *Divinam* *Essentiam*. De
 his *Petavius* *Lib. 7. Cap. 4. & 9.* (2) *Palamitarum*, *Beguar-*
dorum, & *Beguinarum*, negantium necessitatem *Luminis*
gloriae.

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. *Quæ*, & *quanta* sit in *Beatis*, *Deum* clarè intuentibus, cum
 amandi necessitas?

2. An intellectus naturaliter perfectior cum æquali lumine glo-
 riæ videat *Deum* clarîus, quàm imperfectior?

Quæstio logica, aut metaphysica, an *beatitudinis* *supernæ* *essentia*
 collocanda sit in *sola* *Dei* *visione*, an verò in *amore* *simul* &c.? præ-
 termitti in *Theologia* *dogmatica* sinè detrimento potest.

Parum quoque refert, an *Lumen* *gloriae*, aliâque ejusmodi *dona*
coelestia, sint *accidens* *Aristotelicum*, an aliud quidpiam. Neque
 enim *Theologi* est, certa *fidei* *Catholicæ* *dogmata* *super-*
struere *incertis* *hujus*, vel *illius*, *sectæ* *Philosophicæ* *principiis*.

SECTIO III.

De statu animæ humanae post mortem.

DOGmata.

1. Per primi hominis peccatum intravit mors in
 hunc mundum, & statutum est, omnibus homi-
 nibus semel mori.

2. Post hoc subeundum est coram *Deo* *peculiare*
judicium, ut recipiat unusquisque, prout gessit
 in corpore, sive bonum, sive malum.

3. In peccato gravi mortui mox in sempiterna inferni supplicia detruduntur.
4. Peccati nullius quidem lethalis rei, sed pœnæ etiamnum temporariæ exsolvendæ debito obstricti, hanc expiare in *Purgatorio* compelluntur.
5. Justis, omnique tam culpâ peccati, quàm pœnâ expiatis, non patebat ante consummatum Redemptionis opus ad cœlestem beatitudinem aditus, sed in *Limbo* Patrum detinebantur.
6. Post Christi verò ad Patrem ascensum ad cœlestem gloriam mox admittuntur.
7. Ubi, sicut stella à stella differt claritate, ita pro meritorum mensura alius magis, alius minùs clarè Deum intuebitur, majorique, vel minore perfruetur gaudio.
8. Animæ Martyrum, Virginum, & Doctorum, peculiari donabuntur laureâ.
Vid. Card. Prosperi Lambertini, nunc Benedicti XIV.
de Canoniz. & Beatif. Lib. 3. Cap. 5. num. 5.
9. Accidentia quoque beatitudini alii alia sortientur.
10. In fine mundi resurgent omnes mortui ad universale judicium.
11. Gloriosa Beatorum corpora, à morte rediviva, peculiaribus fulgebunt dotibus.
12. Et ibunt hi (justi) in vitam æternam; illi verò (impii) in ignem æternum.

ERRORES

1. Eorum, qui existimant, nec justos ad Dei conspectum,
nec

nec impios ad infernum ante extremum iudicii diem perventuros. Quorum opinioni adhæsit aliquando Lutherus, mortuorum animas somnians in loco aliquo, quem *Schoola* vocat, detineri usque ad diem universalis iudicii, sopore altissimo sepultos.

2. A catholicorum hodiernorum, ignem purgantem inficiantium. 3. Calvini de Limbo Patrum. 4. Origenistarum, pœnas inferni verè & propriè sempiternas fore, non erudentium. 5. Joviniani, æqualem Sanctorum omnium, etiam Beatissimæ Virginis *MARIÆ*, gloriam fore, asserentis. 6. Sadducæorum, resurrectionem mortuorum non agnoscentium. 7. Millenariorum, somniantium, Christum post resurrectionem mortuorum mille annos regnaturum. De quibus *S. Hieronymus Lib. 3. in Matth. Cap. 19.*

PROBLEMA.

An Joannes XXII. velut Doctor privatus senserit aliquando, iustorante extremum diem iudicii non admittat ad cœlestem gloriam?

SECTIO IV.

De cultu, & invocatione Sanctorum.

DOGmata, & DISCIPLINA.

1. Sanctos omnes universè cultu religioso afficit Ecclesia, velut Dei amicos, nostròsque apud Ipsum intercessores: non verò propriè velut *Mediatores*. Quia *unus Mediator Dei, & Hominum, Christus JESUS.* 1. *Timoth. 2. v. 5.*

Explicabitur hic primò, quid intersit cultum merè civilem, inter, & religiosum. Deinde cultus religiosi in cultum Latriæ, Hyperdulæ, & Dulæ, divisio exponetur, ac defenderetur.

2. Eisdem invocamus utiliter, non quidem, ut ipsi largiantur nobis, quæ poscimus, sed, ut ea nobis à Deo impetrent.

Explicabitur paucis modus, quo verosimilius sit, preces nostras pervenire ad Sanctorum notitiam.

3. Eorundem sacras reliquias, & imagines, piè, & ci-
tra ullam idololatriæ notam, veneramur.

4. Sanctorum etiam Communionem perfruimus.

Ubi declarabitur, quid sibi propriè velint verba Symboli
Apostolorum: *Sanctorum communionem.*

ERRORES

Iconomachorum, & Iconoclastarum veterum, quos imitati
sunt hujus ævi novatores. Lutheranorum, & Calvinianorum,
exemplo Vigilantii, cultum sacrarum reliquiarum, & Sancto-
rum, impugnantium.

PROPOSITIO DAMNATA.

Ab Alexandro VIII. 26ta *Laus, quæ defertur Mariæ, in
Mariæ, vana est.*

Hec absolventur circa Martium ineuntem.

PARS III.

De Actibus Humanis.

POST explicatum finem hominis ultimum, veramque ejus
beatitudinem, pergit Theologus dogmaticus ad discussio-
nem actuum humanorum, quibus finis hic ultimus vel obtine-
tur, vel amittitur.

In hac, aliisque materiis, ad morum disciplinam re-
stè constituendam pertinentibus, non quærenda semper dog-
mata *revelata*, vel *definita*: sed interdum satis erit, haberi *Princi-
pia communiter recepta*, ex rectæ rationis lumine, & jure natu-
rali petita.

SECTIO I.

De Natura actuum humanorum,

& de Voluntario.

PRINCIPIA PRÆVIA.

1. Actus, sive motus, quos in nobismet experimur,
alii dicuntur *humani*, alii *hominis tantum*.

Quod-

Quodnam inter hos discrimen sit, partim definitionibus explicabitur, partim exemplis.

2. Priores sunt voluntarii; posteriores non item.
3. *Voluntarium* est, cujus principium est in ipso met agente, cum cognitione *finis*, sive rei appetitæ.
4. *Violentum*, voluntario contrariè oppositum, est, cujus principium est ab agente extrinsecus operante, renitente passo. Violentia etiam vocari solet *Coactio*.
5. *Non-voluntarium* est, quod vel non est ab ipso met agente, vel non *cum cognitione finis*.
6. Libertas concipi quintuplex potest, nempe, ut alia sit *innata à peccato*, alia *à servitute*, alia *à violentiâ, sive coactione*, alia *à necessitate*, alia *à difficultate*.

Explicabuntur singula, atque addetur, quamnam ex his dicenda sit vera, propria libertas, de qua hic sermo potissimum sit: Quorum item animæ facultatum actus sint liberi per se, proximè, & propriè, quarum verò non sint per se, & proximè, sed remotè tantum, & denominative, ut loquuntur, liberi.

DOGMA.

Ut actus humanus sit verè liber, satis non est, eum esse voluntarium.

Ubi vindicabuntur Ss. Patres, ac præsertim Augustinus, qui *Voluntarii* nomen sæpè usurpant pro *Liberis*; ostendeturque, frustra Jansenianos ad horum Doctorum auctoritatem confugere; eum *voluntarii* nomine passim intelligant *voluntarium conjunctum cum libero*: ut e. g. Augustinus, cum ait: *Usque adeò peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium*. De ver. Relig. Cap. 14.

ERROR.

Baji, & Jansenii, docentium, quidquid voluntarium sit, idem esse etiam liberum.

PRO-

(46)
PROPOSITIO DAMNATA

Baji 39na. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.*

Problemata hïc nulla.

SECTIO II.

De actuum humanorum Libertate.

DOGMATA.

1. Homo in statu naturæ lapsæ gaudet verâ propriâ libertate,
2. Non tantùm ad actiones naturales; sed etiã ad exercenda opera bona, ad salutem conducentia; & ad vitanda peccata,
3. Ad hanc non sufficit immunitas à *coactione*, sed requiritur potestas agendi utramque in partem, soluta, & expedita, immunis omni necessitate antecedente.
4. Ad merendum, vel demerendum, in statu naturæ lapsæ, requiritur in homine libertas à *necessitate* non sufficit libertas à *coactione*.

ERRORES

1. Gentilium, omnes hominum, tam bonas, quàm malas, actiones ineluctabili, & immutabili Deorum fato tribuentium.
2. Astronomorum judiciariorum, omnia siderum positioni, & influxui adscribentium.
3. Stoicorum quorundam, per divinam rerum futurarum scientiam tolli hominum libertatem putantium, teste S. Augustino *Lib. 5. de Civit. Cap. 8. & 10.* His consensere Bardesanes, Marcion, Priscillianus (qui & non videtur fuisse alienus ab Astronomorum sententia, ut concludere licet

licet ex Cap. 3. Concilii Bracarenſis) Abailardus, & Wicleffius.
 4. Manichæorum, duas in nobis animas ſtatuentium, alteram
 bonam, malam alteram: quæ ita perpetuò conſurgerent, ut ſi
 vinceret bona, neceſſariò ad virtutem inclinaret; ſi mala, pari
 neceſſitate in vitium præcipitaret. 5. A drumet inorum, quo-
 rundam in Africa monachorum, qui ex malè intellectis S. Au-
 guſtini adverſus Pelagianos libris ita prædicare cœperunt vim
 divinæ gratiæ, ut dicerent hominem liberum non eſſe. Sed hos
 ab errore brevè revocavit S. Auguſtinus. 6. Prædeſtinatio-
 rum, qui poſt S. Auguſtini mortem ex malè pariter intellectis
 ejusdem de gratia, & prædeſtinatione ſcriptis, docere cœpe-
 runt, alios ad piè, alios ad malè vivendum, inſuperabili neceſſi-
 tate à Deo prædeſtinari. 7. Gotheſcalci Monachi, qui ſæculo
 IX. Germaniam primùm, deinde Galliam infeſtavit hoc dog-
 mate: *Quòd prædeſtinatio Dei, ſicut in bono fit, ita & in malo, &*
tates ſint in mundo quidam, qui propter prædeſtinationem Dei, qua
eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore, & peccato ſe corri-
gere, ut refert Rabanus Archiep. Moguntinus in Epift. Synodi-
ca ad Hincmarum Archi-Epiſcopum Remenſem. 8. Lutheri, in
 libro *de ſervo Arbitrio* docentis, extinctum in homine per Adæ
 peccatum eſſe liberum arbitrium, atque ita in ſtatu naturæ lap-
 ſæ, *quidquid fit à nobis, ſive boni, ſive mali, merè neceſſitate fieri,* ut
 ait ſub ipſum libri hujus ingreſſum. 9. Præter innumeros alios
 Lutheri diſcipulos unus omnium acerrimè propugnavit ean-
 dem doctrinam Calvinus, tum *Lib. 2. Inſtit.*, tum aliis in libris
 ſuis. Neceſſitatem tamen illam, ait, non oriri ex ipſa hominis na-
 tura (quem Marcionis, & Manichæorum dicit errorem fuiſſe)
 ſed naturæ, per voluntarium hominis lapſum corruptæ, vitio.
 10. Jansenii Ipreſis, nomen quidem *libertatis* defendentis,
 rem verò evertentis. Nam *Lib. 4. de Grat. Chriſti à Cap. 1.* docet,
 per Adami lapſum amiſſam eſſe indifferentem voluntaris hu-
 manæ poteſtatem, quâ ſe ſectere utramlibet in partem potuerit;
 & ſucceſſiſſe perpetuam quandam in homine luctam duarum
 dele-

delectationum, non deliberatarum, atque in hominis libera potestate minimè positarum, alterius terrenæ, cœlestis alterius; quarum hæc ad bonum, illa ad malum trahat. Hatum utralibet vicerit, ab ea animum secum consentientem, & primum trahi, nullâ ei relictâ, aut obsistendi, aut delectationem hanc abjiciendi, facultate. Voluntatem tamen manere liberam, quia voluntariò, sponte, ac sinè coactione, consentit. Nam nullam necessitatem actibus liberis formidendam esse, sed solam vim, coactionem, ac necessitatem violentiæ, ait Lib. 8. de Grat. Christi Cap. 19. Qualem libertatem nec fati assertores, nec alii ante enumerati, respuant, nec ipse Calvinus, qui Lib. 2. in Pighium ita pronuntiat: *si coactioni opponitur libertas; liberum esse arbitrium, & fateor, & constanter assevero, ac pro heretico habeo, quisquis secus sentiat.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Baji 41ma. *Is libertatis modus, qui est sinè necessitate, sub libertatis nominæ non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.*

Janſenii 3tia: *Ad merendum, vel demerendum, in statu nature lapsa non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. Quæ ad libertatem proximè expeditam necessaria sit indifferentia cognitionis ex parte intellectûs? An ad libertatem sola intellectûs indifferentia sufficiat? Et, an eâ positâ possit voluntati inferri necessitas?
2. Quæ necessaria sit indifferentia voluntatis? An sufficiat sola passiva, & versatilis voluntatis mutabilitas, quæ possit vel in hanc, vel in illam partem flecti ab alio?
3. An verò necessaria sit indifferentia voluntatis activa, sive vis sui actûs domina, & potestas eligendi per semet hoc vel illud?
4. Quænam necessaria sit indifferentia ex parte reliquorum,
ad

ad libertatis exercitium per se prærequisitorum? An ad libertatem necesse sit, ut voluntas cum omnibus, per se prærequisitis ad agendum, possit tam actum, quam actus intermissionem, coniungere?

Quæstiones: *An libertas sit ipsimet actus liberi essentia intima? an possibilis omissio pura libera?* præmittentur. E contra autem, ut præparentur solida Theologiæ morali principia, explicabitur hoc loco, quid sit

1. *Voluntarium purum, & non purum, sive mixtum, & secundum quid non-voluntarium.*

2. *Quid sic dicta à quibusdam Velleitas, & Nolleitas. Quid Dispositio merè habitualis, dum hoc, quod volui, noluissem, si fuisset, vel à me prævisa fuissent, alia rerum adjuncta. E. g. Vovi, quod non vorissem, si prævidissem secuturas difficultates &c.*

Ubi tradetur paucis, an habitualis ejusmodi dispositio sufficiat ad irritam reddendam voluntatem præteritam? An, & quando, præbeat sufficientem dispensandi causam?

3. *Quid voluntarium absolutum, quid hypotheticum, vulgò conditionatum. Quæ conditiones, voluntatis actui appositæ, malitiam purgent, quæ non purgent. E. g. in his, similibusque actibus: Cuperem hanc rem, si alterius non esset. Agerem contra sexum, si liceret.*

4. *Quid voluntarium verum, quid interpretatum tantum; quid expressum, & tacitum.*

Discrimen item inter voluntatem tacitam, & interpretatam ex una, & animo præsumptam tantum, ex altera parte.

5. *Quid voluntaria actio, quid voluntaria intermissio. Quando intermissio actionis dicatur, & sit ita voluntaria, & libera, ut possit imputari omissenti.*

6. *Quid voluntarium in se, vel in causa, vel in se simul, & in causa.*

7. *Quid directè, quid indirectè tantum voluntarium. Quod postremum non est omnino idem cum voluntario in causa.*

8. Quid sit voluntarium antecedens, quid consequens, veluti cum de re peractâ gaudes, eam probas, ratam habes &c.

9. Quid voluntarium per simplicem affectum, quid voluntarium per operis desiderium, sive voluntatem efficacem, illud sive per voluntatem, vel solo affectu efficacem, vel efficacem etiam effectu, sive ipso opere consummatum.

10. Quid voluntarium perfectum, & plene deliberatum? quid imperfectum: idque vel non deliberatum omnino, vel non plene deliberatum.

11. Quid item voluntarium, cui placet tota, quanta, & qualis est, materia sibi objecta; quid illud, cui materia objecta alio respectu placet, alio non placet.

Quâ occasione disquiretur, quandonam ejusmodi precisiones intellectus purgare queant actus malitiam, quando non queant.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

circa hanc materiam potissimum occurrunt istæ.

Ab Innocent. XI, 13tia: Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, vel desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14ta: Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

15ta: Licitum est Filio gaudere de parricidio parentis, à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hereditate consecutas.

PROBLEMATATA.

1. An, & quando, effectus censeri possit voluntarius in causa? & quando is imputetur ad culpam ponenti causam?

2. An, & quando, id, quod actionis alicujus intermissionem

te

sequitur, cen scripossit omittenti voluntarium? & quando ei imputeur tanquam causa? S. Thom. 1. 2. Q. 6. art. 3. in C.

SECTIO IV.

De causis Voluntarii, & Non-voluntarii.

Haec sunt potissimum, *Concupiscentia, Ignorantia, Violentia, Metus.*

S. I.

De Concupiscentia.

PRÆSCITA.

1. Post amissam per Adæ lapsum primigeniam justitiam, & integritatem, duplex hominem corripuit infirmitas, Concupiscentia, & Ignorantia.

2. Concupiscentia nomine autem intelliguntur *inordinata*, rebelles Deo, & rectæ rationi, *commotiones*. Eaque se prodit etiam in animo, quanquam in carne frequentius.

3. Concupiscentia vel *prævertit* omnem omnino rationis animadversionem, & deliberationem; vel *imperfectam* tantum animadversionem, & *minus plenam*, deliberationem sequitur, vel post plenam rationis deliberationem admittitur. His postremis calibus adest *consensus* im-vel-perfectus.

Hac occasione explicabitur ex S. Gregorio M. progressus ad peccatum: *Tribus modis impletur omne peccatum, suggestione, delectatione, consensu. Suggestio fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per Spiritum. In suggestione peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio.*

Philosophi potius est, quam Theologi, disquirere, *utrum* concupiscentia augeat *voluntarium physicum*, quatenus est *ardore*

dore libidinis vehementior voluntatis propensio. Theologi autem est explorare, quandonam augeat, vel minuat *voluntarium morale*, id est, quod magis, vel minus queat imputari.

DOGMATA.

1. Concupiscentia, quam manere in Baptizatis Synodus Trid. fatetur, & sentit, ad agonem relicta, nocere non-consentientibus, & viriliter per JESU CHRISTI gratiam repugnantibus, non valet. *Trid. Sess. 5. de Peccat. orig.*

2. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus *peccatum* vocat, Ecclesia Catholica nunquam intellexit *peccatum* appellari, quod *verè* & *proprie* in renatis *peccatum* sit, sed *quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur*. Trid. *ibid.*

Dum S. Synodus declarat, Concupiscentiam *in renatis* non esse verè & proprie peccatum non continuo concedit, eam tale esse *in non renatis*. Ejusdem enim generis concupiscentia, quæ *in renatis* ad agonem relinquitur, sentitur a *non renatis*.

3. Qui tamen stimulantem concupiscentiam consentit, voluntariò agit, & peccat. *Concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum*. Jac. I. v. 15.

ERROR

Lutheri, & Calvini, docentium, Concupiscentiam, tam in renatis fonte Baptismatis, quam non renatis, esse peccatum. Quibus consentit Jansenius Lib. 2. de Stat. Nat. lapsæ, Cap. 14. dicens: *Désideria peccatorum, non tantùm deliberata, sed etiam talia, que rationem antevertunt, sunt mala, turpia, illicita.*

Eadem occasione exponetur, quid sentiendum de opinione Cajetani, putantis, motus concupiscentiæ esse peccatum saltem leve, quamvis voluntas eis non consentiat: & Durandi, existimantis, motus concupiscentiæ esse peccata levia, si proficiantur ex imaginatione rei prohibitiæ nullum verò esse peccatum, si ex sola oriantur constitutione corporis.

PRO-

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Bajanæ 50ma, 74ta, 75ta. Inter damnatas ab Alexandro VIII. anno 690, 1ma: *Ut statim nature lapsæ ad peccatum formale, & demeritum, sufficit illa libertas, quæ voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* In quo peccato originali causantur Bajani, motus omnes concupiscentiæ esse nobis factis voluntarios, & liberos.

SCITA THEOLOGICA.

1. Qui majore concupiscentia stimulus peccat, cadit ex graviore tentatione: unde minus ei imputatur. *S. Thom. 1. 2. q. 73. Art. 6. ad 2.*

2. Si verò concupiscentia sequatur iudicium rationis, & motum voluntatis; sic, ubi est major concupiscentia, est majus peccatum. Insurgit enim interdum concupiscentiæ motus ex hoc, quòd voluntas ineffrenatè tendit in suum objectum. *Ibid. Vid. etiam 2. 2. Q. 150. Art. 4 ad 3.*

3. Nisi fortè tam vehemens passio sit, quòd usum rationis totaliter tollat: sicut contingit in his, qui propter vehementiam iræ, vel amoris, insaniunt. *Id. 2. 2. Q. 175. Art. 2. ad 2.*

§. II.

De Ignorantia.

PRÆSCITA

1. Explicabitur, quid ignorantia, quidque eam inter & errorem intersit propriè.

2. Quid ignorantia antecedens, inculcata, & quid consequens, ex culpa orta; quid vincibilis, & invincibilis; quid affectata, in se, vel sua causa; quid supina, aut crassa; Quid ignorantia juris, ejusque vel naturalis, vel divini, vel humani, quid ignorantia facti; quid ignorantia, quæ sit causa actûs, & quid ea, quæ non est causa actûs, sive ignorantia comitans.

3. Ignorantiæ affines sunt error, & inconsiderantia; quæ eodem possunt modo dividi.

SCI.

SCITA THEOLOGICA.

1. Quod ex ignorantia *insuperabili*, & *inculpata* fit, id secundum eam rem, circa quam versatur ignorantia, est simpliciter non-voluntarium, adeoque excusandum à peccato.

2. Quod fit ex ignorantia *consequente*, sive *vincibili* & *culpabili*, est voluntarium saltem in causa, puta in voluntaria negligentia intelligendi veritatem, quam quis potest, ac debet scire.

3. *Universalia*, & *prima* juris naturalis *principia* à nemine, etiam *privato*, rationis compote, permittuntur ignorari.

4. Aliorum verò *præceptorum* naturalium, à *primis principis remotiorum*, potest in aliquibus ratione utentibus reperiri *insuperabilis*, & *inculpata* ignorantia.

5. Potest etiam in quibusdam esse *insuperabilis*, & *inculpata* ignorantia *juris divini*, saltem ejus, cujus notitia non est ex hujus Providentiæ divinæ ordine necessarium ad salutem medium.

6. Multò magis esse poterit ignorantia *insuperabilis*, & *inculpata* *juris humani*, uti & *facti*.

ERRORES

Eorum, qui nullam dicunt in statu naturæ lapsæ ignorantiam juris naturalis esse inculpata, eò quòd fit nobis voluntaria in peccato Adami. Eorum item, qui asserunt, in statu naturæ lapsæ ignorantiam invincibilem juris naturalis, tametsi detur, non excusare à peccato formali. Hic quoque de exoticâ opinione Guilielmi Parisiensis, *Tract. de Legibus, Cap. 21.* docentis, nullam dari ignorantiam invincibilem posse legis, etiam humanæ, ad unumquemque pertinentis, imò nec facti quidem; cujus notitia necessaria esset ad servandam legem, quamcumque tandem.

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

Inter damnatas ab Alexandro VIII. anno 1690, 2da: *Tametsi*

meti detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsa operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

Bajana 68. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est predicatus, peccatum est.

QUÆSTIONES.

1. An, & in quibus, juris supernaturalis circa ea, sine quibus salus nulli contingit, dari possit ignorantia, prorsus inculcata?
2. An, quod ex ignorantia culpabili fit, sit peccatum novum, à peccato ipsius ignorantia distinctum?
3. An, & quatenus, excuset ignorantia, non supina, atque crassa, legis humanæ, pro foro animæ illos, in quibus pro foro externo non transmittitur?

§. III.

De Violentia & metu.

PRÆSCITA.

1. *Violentia*, seu vis absoluta, ita definitur L. 2. ff. quod metus causâ: Est majoris rei impetus, qui repelli non potest.

Impetus hic, si corpori, aut sensibus inferatur, invitâ & reluctante voluntate, est simpliciter, ac propriè *violentia, vis, coactio*. Si verò voluntati (ut fieri saltem à Deo potest) interatur ita, ut illi resisti non possit, non tam *violentia* erit, quàm *necessitas*. Quia voluntas nunquam agit invita, & reluctans, sed semper volens. D. Augustinus tamen, aliique DD. nonnunquam voluntatem dicunt cogi, dum ei inferatur *necessitas*.

2. Metus definitur: *Instantis vel futuri periculi causâ mentis trepidatio*. L. 1. ff. Quod metus causâ. Eum nonnulli DD. parùm benè vocant *Violentiam conditionatam*. Non enim est propriè idem, quod *vis & violentia*, sed sæpè ejus effectum; quia metus per vim & violentiam incutitur.

3. Alius est *gravis*, alius *levis*; alius à *causis naturalibus*, alius ab *homine*, vel *justè*, vel *injustè* incussus. Aliud item est agere *cum metu*, aliud *ex metu*.

SCITA THEOLOGICA.

1. Violentia absoluta quod extorquet, non est voluntarium liberum.

2. Quæ metu compellente fiunt, sunt simpliciter voluntaria. *Quamvis, si liberum esset, noluissem; tamen coactus volui. L. 21. § 5.* Quod met. cau. Nisi forte metus fuerit cum exanimatio-
ne, conturbatione, & inconsiderantia, conjunctus.

3. Sunt ea tamen sæpè ex parte involuntaria, aut minùs vo-
luntaria, ob comitem animi pugnam, & voluntatem contrari-
am, quæ *nolles, quod facis, facere*, si metus abesset.

4. Sæpè sunt voluntaria ex assè, sinè ulla ejusmodi volunta-
te, & affectu contrario: ut cum ex gehennæ metu detestaris sce-
lera.

ERRORES.

Lutheri, & Calvini, docentium, Attritionem, quæ ex gehen-
næ, & pœnarum metu concipitur, retinere affectum ad peccata
hypotheticum, *si infernus non esset*, eamque facere hominem
hypocritam, & magis peccatorem. Quem errorem meritò
perstringit *Trid. Sess. 14. Cap. 4. & Can. 5.* Jansenianorum quo-
rundam, asserentium, ob gravium incommodorum metum
Formulæ, ab Alexandro VII præscriptæ, subscribi licitè posse,
etiam ab iis, qui interiùs non judicant, Jansenii libro doctri-
nam hæreticam contineri. Hos perstringit pro meritis Cle-
mens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*,

QUÆSTIONES.

1. Quibus in legibus admittatur metus gravis excusatio, in
quibus non admittatur?

2. Quam actus, metu gravi extrinsecùs incusso extorti, va-
leant? Quousque hi stringant conscientiam, aut ex adverso fa-
veant in foro animæ? Quinam non valeant?

SECTIO V.

De regula actuum humanorum.

PRÆSCITA.

1. Actiones vitæ humanæ aliæ sunt *in genere morum* (quod Theologus potissimum considerat) *rectæ*, sive *bonæ*; aliæ *pravæ*, sive *malæ*. Bonæ, aut saltem non-malæ, sunt, quas fas, malæ, quas nefas est admittere. Bonæ dicuntur *honestæ*, quia honestant vitam hominis, & laude dignam reddunt: malæ verò *turpes*, & *inhonestæ*, quia illam inhonestant, ac vituperio dignam efficiunt.

2. Quidam actus dicuntur *extrinsecus* tantum, & ideo *mali*, quia sunt *prohibiti*; alii verò *per se*, & *intrinsecus* mali, atque ideo *prohibiti*, quia suapte naturâ mali sunt.

3. Rectum omne, & pravum, à regulæ alicujus commensuratur, ut, quod exactum ad regulam, id rectum, quod ab ea abluat, id pravum sit.

4. Atque ita necesse est, esse quandam *morum regulam*, ad quam exactæ actiones humanæ sint *rectæ*, & *bonæ*; ab ea deflentes verò sint *pravæ*, & *malæ* in *morum genere*.

PROBLEMA.

An prima *morum regula* sit natura rationalis, an verò *Lex æterna DEI*?

Post hujus expositionem problematis ostendetur paucis, quomodo controversia hæc, quamvis vehementer inter Doctores, tam Catholicos, quam acatholicos, agitata, praxi nihil officiat.

DOGMATA.

1. Regula *morum proxima* est suæ cuilibet *judicium conscientiæ*, dictans, an actio bona, vel mala sit.
S. Paulus Rom. 14. v. 14. § 23.

2. Conscientia recte ab Origene vocatur *Spiritus corrector*.

rector, & Pedagogus anima sociatus: ex cuius testimonio judicabitur quisque *in die, cum Deus judicabit occulta hominum.* Vid. Rom. 2. v. 15. & 16.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.

1. Debet ergo quisque obtemperare iudicio suæ conscientiæ, etiam errantis, modò error sit insuperabilis, & inculpatus. Quisque contra conscientiæ suæ iudicium agit, peccat.
2. Non licet pergere cum iudicio conscientiæ pratico dubio.
3. Sed iudicium conscientiæ ultimum, & practicum, debet esse ita certum, ut non relinquatur *prudens*, de actionis, vel intermissionis, quam meditaris, honestate, *dubium*.
4. Quando de actionis, vel intermissionis honestate certa veritas reperiri *ex principiis directis* non potest, iudicium hoc ultimum certum efformandum est *ex principiis reflexis*.

Reliqua de Conscientia relinquuntur Theologiæ morali.

SECTIO VI.

De morali bonitate, vel malitia, actûs humani.

PRÆSCITA.

1. Morale à moribus dicitur. Mores sunt *actus voluntatis humana, facti cum rationis ad regulam morum respectu.*
2. Tam bonitas, quàm malitia, actionum humanarum alia dicitur *solet objectiva, alia formalis.*
Explicabitur utraque partim definitionibus, partim exemplis.
3. Alius est finis *intrinsicus* ipsius operis, estque res actui objecta; alius est finis *extrinsecus*, quem operi suo propositum habet *operans.*
4. Alia præterea possunt esse adjuncta, actionem circumstantia, quæ exponuntur vulgò hoc notissimo carmine: *Quis, quid, ubi &c.*

SCL.

SCITA THEOLOGICA.

1. Bonitas, & malitia, moralis verè, ac propriè est in solis actibus voluntatis.
2. In aliarum verò animæ facultatum actiones ea derivatur ab actibus voluntatis, illas imperantibus.
3. Ut actus honestus sit, necesse est, tam rem ei objectam, quam adjuncta ejus reliqua omnia, sic conscientia regula morum.
4. Vitiatur verò actus, si vel unum istorum regula morum ad- versetur.

DOGMATA.

1. Adjunctum persona, infidelitate, hæresi, vel alio peccato gravi, infecta, non inficit omnia opera hominis infidelis, hæretici, aut impii.
2. Neque vitiatur actus ex eo, quòd non procedat ex pura charitate Dei.

ERRORES

Baji, & Quæsnelli, quos exhibent sequentes

PROPOSITIONES DAMNATÆ.

25ta: Omnia opera infidelium sunt peccata, & philosopho- rum virtutes sunt vitia.

Ejusdem, 26ta: Omne, quod agit peccator, vel serpens peccat, peccatum est.

38va: Omnis amor creaturae rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quæ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum S. in corde diffusâ, Deus amatur.


Huiusmodi nyma est 7ma, ab Alexandro VIII proscrip- ta, anno 1570. Omnis humanæ actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis est.

His annuere aucta Quæsnel i 44ta, cum pluribus subjunctis.

PROBLEMATA, & QUÆSTIONES.

1. An actus externus addat per se actui interiori voluntatis majorem bonitatem, vel turpitudinem.
2. Utrum, & quo modo actus omnis humanus debeat referri ad Deum? an sufficiat illum referri ad finem naturæ rationali consentaneum?
3. Utrum reperiri possit actus humanus indifferens in individuo?
4. An actus bonus supernus imperari possit ab actu malo?
5. An Finis bonus purget, vel excuset, actum in se malum?

Ubi sobriè exponendum axioma illud : *Inter duo mala minus est eligendum.* Consulatur S. Augustinus *Lib. Quæst. super Genes. Cap. 42.* S. Gregorius in *moralibus, Lib. 32. Cap. 18. 19.* 20. Concilium Tolet. VIII. Can. 2.



TRACTATUS III.

De Peccatis, Legibus, Gratia, & Merito.

PARS I.

De Peccatis.

Postquam Theologia dogmatica Finem hominis ultimum, propositumque ei Beatitudinis cœlestis præmium, ac deinde actionum humanarum, quibus veluti alis ad vitam cœlestem contendimus, naturam, libertatem, regulam, honestatèque, contemplata est: ad peccata consideranda progreditur, quæ, nisi fugiantur, à fine suo ultimo æternam in perniciem rapiens hominem.

SECTIO